Mechanica rerum explicatio non ducit ad Atheismum.

CAndidus abstrusas si quis reserare cavernas
Naturæ, & series causarum scandere gestit:
Jura catenatas cernet moderantia causas,
Et vires motûs; Summi qui Numinis arte
Ludit diversas in eâdem mole figuras.
Nempe uteris aptis rerum primordia numen
Condidit, insinuans calor incubat, atque favillas
Excitat internas Brutorum animare cruorem.
Machina mira subest; nostræ velut æmula mentis,
Neve intersit adhuc (nec sanè injuria) Divus.
Sic quoque vi motûs tellus damnata metallis
Millia visceribus sustentat tormina strictis;
Circuitúsque suos absolvit sedula longos.
Cursibus assiduis tandem defessa, sagittis
Pressáque Phœbeis, multum sudoris anhelat
Sulphurei; *Tethys* jamque evomit ægra vapores.
Agmina Terrigenæ prolis pro more Gigantum
Summa petunt; radiis & junctis viribus obstant.
Est locus immensus cœlo manifestus in atro:
Huc candens *Cyclops* globulos jaculatur ab alto
Cœlestes, fumus quos prensos strangulat Udus,
Qui mox cum sociis terram turbatur ad imam,
Parturiunt montes, herbam dat victaque tellus.
Hæc motus peragit, nec digna Tragœdia Divo est.
Filiolæ, (*Gilberte*,) tuæ magnetis amorum
Ostendúntque probántque modos, cur nupta Polorum
Uni, pars eadem castos conservat amores.
Surget ad hæc quidam vetulus de stirpe Stagiræ,
Invaluit tantum rerum Magnetica Virtus;
Ut mirum non sit si ferrea prævalet ætas,
Quâ fugiunt verum, pietas, cultúsque Deorum.
Ast cum sit motûs famulantis tanta potestas,
Immotus mundi Motor (Proh) quantus habetur!
Mallem ego Naturâ rerum secludere motum,
Quod quidam fecêre; Dei quàm dona negare:
Illud enim sensus suadent, hoc mens mea monstrat,
Scilicet à vacuâ quòd stamina traxit Abysso.

ERGO,

Quàm probat esse Deum tam dædala machina rerum
Qui potuit stabili mundum disponere jure
Instabilem, & fixas non fixis tradere leges!

Captivi potentiâ lædendi destituti no possunt jure occidi.

SIt licèt adverso nimiùm crudelis in hoste
Miles, & indomitâ plusquam virtute Severus;
Non tamen hostili captivum absumere ferro
Jura sinunt, fugit omne prius, cum tempore, crimen
Obliviscendum, & Nemesi revocabile nullâ.
Nunc Domini sub jure novi, nova vincula passus
Infælix, nè quicquam ultra temerarius ausit,
Huic dabit ultori pœnas? & sanguine toto
Nota repurgabit veteris vestigia culpæ,
Quam sub Rege alio, bellíque ardore, peregit?
Si vestrâ sub lege facit quæ ferre molestum est
Plectite victores, pœnásque reposcite dignas.
Sin capto sperare dolor, seu vincula cogant,
Hostibus ut similem fata evolvenda ruinam,
Et similes Fortuna vices conversa rependat
Non hoc est tam grande nefas, quod morte piaret
Commissum: sentire datur; nam legibus esse
Nemo nocens poterit cui tollitur ansa nocendi.
Si crimen vixisse fuit, si vescier aurâ
Ætheriâ, & stricto defendere pectora telo;
Erravit Natura monens improvida factum.
Rex hostem contraïre jubet; parere jubenti
Numen, & objectos invadere fortiter enses.
Sic Bellatores, velut instrumenta, reguntur,
Artifici jactanda manu: pugnare necesse est.
Sed placet accenso major vindicta timori:
Ut pueris, ubi plagosus cum verbere crebro
Sæviit Orbilius, mos est violare flagellum.
Ignavos hæc ira solet, pavidósque movere,
Egregiis indigna viris, virtutibus impar.
Quod si crimen erit vires habuisse minores,
Demite me Superi terris: en ipse misellus
Confugio ad montes: hominésque urbésque valete,
Quantumcunque licet: mihi per deserta ferarum
Tendenti non tanta movent discrimina curas.
Parcere prostratis didicit *Leo*, parcere victis
Omne animal, nisi dura fames nimis ilia pulset.

ERGO,

Turpiter algentem Victor sine crimine dextram
Sanguine captivo tinctus, magis ipse meretur,
Quas capit indignè, Naturâ judice, pœnas.

Julii 4. 1676. *In die Comit. Respond.* Roberto Apleford, *Coll. Divi Johan.* Soc.

